alios. Ratio est, quia ex una parte pretium quod offertur, est æquale debito; nam offert de thesauro Ecclesiæ consistente in satisfactionibus Christi, B. Virginis, & Sanctorum, qui est superabundans, & numquam deficiens: *v. tom. 3. pag. 630. n. 241.* Ex alia parte habetur promissio Dei de tali pretio acceptando, inclusa in articulo fidei de communione Sanctorum, & expressa in verbis Christi Matth. 16. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Quæ promissio est universalis: *Quodcumque*, & non excludit animas Purgatorii; quia ly, *super terram*, cadit supra solutionem activam, non supra passivam.

3816 *Communio Sanctorum*, consistit in hoc, quòd corpus Ecclesiæ Catholicæ, seu universalis, prout comprehendit tres partes, *militantem*, scilicet viatorum in hac vita contra hostes animæ militantium; *satisfacientem*, in alia vita in purgatorio satisfacientium, & *triumphantem*, Beatorum in Paradiso Deo fruentium, est ita perfectè unitum, ut unius membri bono participent cætera membra, ex Apost. ad Rom. 2. & ex *Psal. 118*, sic nostræ orationes, & sacrificia juvant animas Purgatorii; orationes verò Sanctorum nos juvant, & illas.

3817 Hinc colliges 1. differentiam inter suffragia, quæ à fidelibus propria auctoritate fiunt pro animabus Purgatorii, & inter ea, quæ fiunt auctoritate Apostolica; nam illa offeruntur per modum simplicis deprecationis, & impetrationis, ut Deus de congruo acceptare dignetur; hæc verò per modum compensationis, & condignæ satisfactionis ex vi condigni pretii, quod offertur, & promissionis Dei de eo acceptando, inclusæ in articulo fidei de communione Sanctorum, & expresè in verbis Christi.

3818 2. Quòd nulla Indulgentia valeat pro defunctis, nisi sit expresè à Papa concessa pro illis: quia nullus potest disponere, & offerre pretium pro illis de bonis communibus Ecclesiæ, quæ sunt satisfactiones Christi, & Sanctorum, nisi solus Papa.

QUÆRES I.

3819 In concessione Altaris privilegiati apponi solet clausula, *dummodò in Ecclesia tot, v. g. quindecim Missæ celebrentur quotidie*: An si in ea non celebrentur tot Missæ, concessio teneat? Diana *part. 9. tract. 2. res. 9.* nil de suo apponens refert Resp. Bordoni *tom. 2. res. 91. n. 8.* eique adhærere videtur. Qui respondet non tenere, si numerus Missarum præscribatur tamquam conditio.

3820 Addit tamen contra Rodr. Silvium, & alios, talem clausulam regulariter non esse conditionem ad valorem privilegii necessariam, sed apponi narrativè, attenta supplicatione facta, in qua est expressus conveniens, aut magnus sacerdotum numerus; narrativa autem nec conditionem, nec jus facit, ex *cap. Ex litteris 3. de fide instrum.*

Quod suaderi potest; nam in similibus Brevibus non semper idem numerus sacerdotum celebrantium præscribitur, sed aliquando septem, aliquando quindecim, & aliquando quadraginta; quæ diversitas non aliunde oritur, nisi ex diversitate expositorum in supplicationibus, ad quæ summus Pontifex attendit.

3821 Tum quia particula, *dummodò*, regulariter modum significat, non conditionem, Tamb. *in Meth. celebr. Miss. lib. 1. cap. 4. §. 4. n. 41.* Barb. & Sanchez: qui modus non constituit actum; nempè privilegium, sed adjicitur actui perfecto.

Mastrius *disp. 23.* Leander *tr. 5. de pœnit. disp. 14.* Diana *p. 9. tr. 2.* Arsdekin *in tom. 2. p. 240.*

QUÆRES II.

3822 *Beneficiatus nimio suo labore, & magna Curiæ difficultate, concessionem Altaris privilegiati obtinuit cum clausula, dummodò quotidiè quatuor Missæ in ea Ecclesia celebrentur: An si in ea non celebrentur tot Missæ, concessio teneat?*

Resp. tenere, si id fiat rarò, aut aliquo casu fortuito; minimè si fiat communiter. Diana *p. 9. tract. 2. res. 9.* Rodr. & alii apud ipsum.

Ratio primæ partis est, quia hæc accipienda sunt humano modo, & moraliter, ut frequentiùs accidunt, *l. 3. 4. 5. & 6. ff. de leg.* & splendor Ecclesiæ non amittitur ex defectu Missarum, qui fortuitò & rarò contingit.

3823 Ratio secundæ partis desumitur ex resolutione prioris quæsiti. In tantum enim in consuetis clausulis, *dummodò triginta, quindecim, septem Missæ quotidie celebrentur*, diximus dictas clausulas non apponi regulariter ut conditiones, sed narrativè, & ut modum; adeòque, si pauciores dicantur, non cadere concessionem; quia cum pauciori numero servatur sufficiens cultus, & decor Ecclesiæ, qui pro concessione Altaris à Pontifice intenditur. Non ita res se habet in casu, quia clausula quatuor Missarum non est regularis, sed extraordinaria, & singularis, & si minùs quàm quatuor Missæ celebrentur, non servatur cultus, decor, & splendor Ecclesiæ à Pontifice pro concessione intentus (quæ fuit cautela laboris, atque nimiæ difficultatis) adeòque colligimus, dictam clausulam apposi-

tam esse

esse taxativè, ut conditionem, atque inde concessionem Altaris cadere, si communiter non fervetur.

CAPUT IX.

De Jubilæo.

3824 Jubilæus à verbo *Jobel*, quod apud Hebræos est *annus remissionis*, durare solet per quindecim dies, excepto Jubilæo Anni Sancti, qui durat per totum annum.

3825 In eo conceduntur plures facultates 1. Absolutionis ab omnibus censuris, & casibus reservatis, faciendæ à quolibet Confessario, approbato tamen ab Ordinario loci, excepto crimine hæresis formalis, nisi exprimatur, ex Decreto Alexand. VII. 1656. 2. Commutandi, non dispensandi omnia vota, exceptis solùm votis Castitatis, & Religionis ac votis promissionis à tertio acceptatis: v. fusè de voto.

3826 Jubilæus non potest bis lucrari, sed semel. Busemb. *lib. 6. tract. 4. cap. 1. dub. 4.* & Bonac. contra Arsdekin *tom. 2. pag. 241.* qui plures pro se refert. Nam clarè colligitur ex verbis Jubilæi.

3827 Qui omisit lucrari Jubilæum in sua patria, potest illum lucrari alibi, ubi tempus præscriptum non jam est elapsum. Qui post confessionem iterum peccat peccato reservato, potest iterum absolvi, si non expiraverit tempus. Si quis tempore Jubilæi incœpit confessionem, quam tamen materialiter imperfectam ob justam causam opus sit differri, potest tunc tolli reservatio, & fieri commutatio votorum. Imò Confessarius potest postea peracta confessione præstare omnia, quæ antè; quia cœpta causa manet potestas delegati, donec finiatur. Busemb. *cit.* Bonacin. Dian. Confessarius potest absolutionem post Jubilæum differre ob occasionem proximam pœnitentis, vel quia pœnitens accessit ultimo die, & confessio non potest perfici.

3828 Qui peccat peccato reservato in confidentiam Jubilæi, potest virtute Jubilæi absolvi, nisi expresè excepturentur reservata, in confidentiam Jubilæi commissa. Aliud est peccare posita notitia, seu post notitiam Jubilæi, & aliud *in confidentia* Jubilæi; nam *confidentia* importat, quòd notitia Jubilæi influat in peccatum, & sit ejus causa, quatenus quis illud non faceret, si non haberet notitiam Jubilæi, & spem facilis absolutionis.

3829 Qui absolutus est à reservatis, si postea non impleat alia opera, & Indulgentiam non lucretur, verè remanet absolutus, si quando confessus est, habuit intentionem veram, & non fictam lucrandi Jubilæum. Imo de eo, qui omnia opera neglexit, in fine tamen, seu ultimo die, pœnitentia ductus accedit ad confessionem, & communionem, probabile putat Arsdekin *tom. 2. pag. 242.* cum Diana *part. 5. tract. 12. res. 26.* & aliis, quòd Confessarius possit omnia opera præscripta in alias pias actiones commutare, & reddere eum participem Jubilæi, quia tunc est verè impotens ad opera præscripta peragenda. Eadem ratione addit contra Lugo, quòd pro eo, qui omnibus præscriptis peractis, ultima Dominica communicare non potest, quia inadvertenter bibit, possit Confessarius communionem in aliud opus commutare: *vide à n. 3309.*

Quamvis autem per confessionem invalidam virtute Jubilæi non tollatur reservatio; addit Clericatus *cap. 122. num. 18.* tolli reservationem, si confessio invalida fuit facta Superiori, ita ut posteà sufficiat confessionem repetere simplici Confessario, & ab eo absolvi; quia satisfecit intentioni Ecclesiæ per confessionem reservatorum Superiori factam.

3830 Opera præscripta debent omninò intra unam & eamdem septimanam impleri; imò tria jejunia non possunt aliis diebus ejusdem septimanæ impleri, v. g. die Jovis, &c. sed fieri debent diebus præscriptis, Mercurii, Veneris, & Sabbati.

3831 Non potest quis propria auctoritate opus præscriptum etiam in melius commutare, sed solus Confessarius commutare potest, quando impotentia physica aut moralis adest.

3832 Adolescentes, & senes, qui ex privilegio Ecclesiæ ante 21. & post 60. annum non tenentur jejunare, tenentur pro Jubilæo, quia est conditio apposita ad gratiam Jubilæi: quòd si habent causam justam non jejunandi, petant commutationem.

3833 Eleemosyna sufficit, quòd sit modica, quia relinquitur arbitrio quantitas, licèt impotentes dare eleemosynam, ut Religiosi, & alii pauperes, probabiliter non teneantur ad aliud opus, ut vult Arsdekin *tom. 2. pag. 242.* Leander *tract. 5. de pœnit. disp. 14. quæst. 53.* tutius tamen est, ut commutationem petant. Dominus, si det famulo eleemosynam elargiendam pauperibus, & famulus eam defraudet, & pro se retineat, Jubilæum non lucratur, quia non præstat in re opus præscriptum. Leander *cit. quæst. 49.* Dia-

na *part. 5. tractat. 12. resolut. 31.* contra Sà.

3834 *Quantum ad visitationem* : Si Ecclesia Regularium sit designata ab Ordinario pro visitatione, Regulares ibi commorantes satisfaciunt eam visitando, Bardi contra Lyranum, quia Jubilæi simplicem visitationem præscribunt. Si verò eorum Ecclesia sit designata determinatè pro mulieribus, tunc tenentur visitare alienam Ecclesiam designatam pro viris. Visitatio fieri debet ex intentione lucrandi Jubilæum, quia visitans debet orare pro intentione Pontificis.

3835 Per Jubilæum Anni Sancti suspenduntur extra aliæ Indulgentiæ, sed non pro constitutis in mortis articulo, neque suspenduntur Indulgentiæ pro defunctis. Item per Jubilæos non suspenditur Bulla Cruciatæ: ita declaraverunt Gregor. XIII. Clemens VIII. & Urban. VIII. apud Busemb. *l. 8. c. 1. dub. 3. quæst. 3.* & novissimè Innoc. XII. Certum tamen est quòd ut quis lucretur Jubilæum, & ejus Indulgentiam, non indiget Bulla Cruciatæ in locis Bullæ; quia Jubilæus est indultum generale specialiter à Summo Pontifice concessum independenter à Bulla.

CAPUT X.

De Bulla Cruciatæ.

3836 Bulla, *est diploma, seu Breve Pontificium, in quo multa gratia conceduntur dantibus certam eleemosynam in subsidium belli contra infideles, & hæreticos.*

Taxa pro Bulla vivorum. Pro Cardinalibus, Episcopis, Inquisitoribus, Dignitatibus, & pro insignibus quibusdam personis, videlicet pro Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Proregibus, Commendatoribus, & aliis Officialibus Curiæ Suæ Majestatis, eorumque uxoribus, viris viventibus, octo reales, videlicet, monetæ Siculæ decem tareni, & grana decem. Viduæ verò, si nullo proprio titulo ex dictis gaudeant, erogare debent solùm duos reales.

Pro communibus personis duo reales, videlicet duo tareni, & duodecim grana cum dimidio : *v. n. 3839.*

3837 Non valet Bulla, si pro eleemosyna detur pecunia in individuo furtiva.

Valet, si pecunia furtiva fuerit immixta cum propria, ut discerni non possit; quia per mixtionem est fur factus ejus dominus cum onere restituendi tantumdem : *v. à num. 2742. & 2746.*

Valet, si meretrix det pecuniam ex turpi lucro; quia licèt cum peccato, est justè acquisita : *v. n. 2781.*

3838 Qui Bullam accipit credito, ea uti potest, si accipiat animo solvendi. Si verò accipiat credito animo solvendi, sed ob sui impotentiam nullam habet spem illam solvendi, non fruitur privilegiis Bullæ; quia revera non est soluturus, & Bulla requirit eleemosynam realem, saltem quæ certè speratur.

3839 Bulla durat per annum à die publicationis, usque ad diem sequentis publicationis, quæ fieri solet Dominica Septuagesimæ.

Non potest quis ea uti, nisi verè illam habeat; non enim sufficit propositum accipiendi. Sufficit, si eam habeat domi.

Si eam amitteret casu, probabile est, quòd posset ea frui; minimè, si sponte projiceret.

3840 Qui accepit Bullam in loco, ubi valet, si accedat ad locum, ubi non valet, potest uti privilegiis Bullæ, exceptis privilegiis vescendi ovis, lacticiniis in Quadragesima, & carnibus de consilio utriusque Medici, in diebus, quibus prohibentur; quia expressè excipiuntur.

3841 Extraneus accedens ad locum Bullæ, quacumque causa, etiam sumendæ Bullæ, si accipiat Bullam, potest ejus privilegiis frui, quòd si redeat ad patriam, potest iisdem frui, exceptis privilegiis quoad carnes, & lacticinia. Si verò alicui existenti extra Regnum Bulla ab alio accipiatur, & remittatur Bulla, non potest ille Bulla frui, quia Bulla requirit, quòd qui vult Bulla gaudere, quando Bulla accipitur, sit in eo loco, cui Bulla conceditur : *v. n. 3893.*

Per Bullam plura privilegia conceduntur, quæ ibi expressè referuntur, & præsertim

ABSOLUTIO A RESERVATIS.

3842 Per Bullam absolvi possunt omnes casus, & censuræ reservatæ, tam Episcopo, quàm Summo Pontifici, tam in Bulla Cœnæ Domini, excepta hæresi formali, & externa, etiam occulta, (de qua fusè *in tom. 2. numero 258. & à numero 281. & hic à numer. 3340. ad 3552.*) hoc cum discrimine, ut casus reservati Episcopo, absolvi possint toties quoties; similiter casus reservati Papæ extra Bullam Cœnæ Domini, si sint occulti, etiam toties quoties; quia evadunt Episcopales, quatenùs videlicet absolvi possunt ab Episcopo, ut in *numero 3588.* Si verò sint publici, & pa-

riter casus Bullæ Cœnæ Domini, sive publici, sive occulti, absolvi possunt semel in vita, & semel in morte.

Si contingat, quòd quis eodem anno cadat iterum in eosdem casus publicos, loquendo de reservatis Papæ extra Bullam Cœnæ, aut in eosdem casus, sive publicos, sive occultos, loquendo de reservatis in Bulla Cœnæ, potest absolvi per secundam Bullam, pariter semel in vita, & semel in morte; at si contingat tertia vice, non potest accipere tertiam Bullam eodem anno: *v. n. 3847.*

3843 Doctores, qui tenent, posse Episcopum virtute Trid. absolvere à casibus reservatis in Bulla Cœnæ, si sint occulti, consequenter tenent, quòd per Bullam, casus reservati Papæ tam extra, quàm in Bulla Cœnæ, si sint occulti, possint absolvi toties, quoties; quia evadunt Episcopales. Vide dicta *à n. 3323.*

3844 Dicitur *semel in morte*; & significatur, quòd si quis in articulo mortis virtute Bullæ à reservatis absolvitur, si convalescat non tenetur se præsentare Superiori, cui sunt reservati; quod tamen facere debet, qui in articulo mortis à reservatis absolvitur sine Bulla. Omninò *v. n. 3355. & 3356.*

3845 Absolutio à censuris (ait Mendo *in epit. ver. Bulla Com. Cruc.*) nequit concedi, si detur pars læsa, nisi ei satisfiat, aut detur cautio sufficiens; nec potest concedi à censuris latis ab homine in particulari, ne judicia turbentur; sed à cæteris. Attamen præstita satisfactione, aut cautione, seu data impotentia satisfaciendi, potest quis excommunicatus specialiter ab homine absolvi pro foro interno conscientiæ virtute Bullæ, à quacumque excommunicatione reservata, & à non reservata; & ab hac poterit absolvi à quovis Confessario absque Bulla. Quod idem dic virtute Jubilæi, aut privilegii, si detur. Etenim hæc absolutio nullatenus perturbat ordinem judicialem, cùm solùm prosit pro foro interno, ita ut absolutus possit gaudere suffragiis Ecclesiæ, & à peccatis absolvi; & pietas exigat, ut cùm per ipsum non stet, quominùs absolvatur, non privatur iis bonis spiritualibus. At à censuris generalibus reservatis non potest quis ideò absolvi pro foro interno, nisi ab habente specialem jurisdictionem, quia illæ censuræ reservatæ sunt etiam quoad forum internum.

Inde si absolutus pro foro interno obtineat beneficium, tuta conscientia poterit illud retinere, & facere fructus suos, esto possit Judex eum illo privare. Imò si ille celebret, non manet pro foro interno irregularis; esto sit puniendus, & habendus ut irregularis pro foro externo. Quòd si excommunicatus non debeat satisfacere cuiquam, sed ejicere concubinam, aut quid simile, nequit absolvi, nisi illud exequatur. Si autem sit pars læsa in casibus, in quibus non tenetur restituere ob impotentiam, aut quia nequit sine incommodo gravi sui status, non tenetur satisfacere; nam satisfactio est etiam restitutio.

In articulo mortis potest præstari absolutio à censuris, dum constet, à moribundo relinqui in testamento, aut aliter, hæredibus obligationem satisfaciendi. Qui vel ex jure ordinario, vel ex delegatione absolvit, non præstita satisfactione, aut cautione, absolveret validè, sed illicitè, quia non servat in re gravi juris formam. Idem dic, si absolvat, virtute Bullæ; nam clausula addita de satisfactione præstanda, non est limitativa potestatis, sed admonitio formæ juris. Et quidem id ampliùs cernitur, si moribundus absolveretur, non petita satisfactione, nec cautione; nam pia mater Ecclesia non vult, ut in his casibus negligentia Confessarii in suo munere obeundo præjudicet pœnitenti.

3846 Virtute Bullæ non potest dari absolutio à cessatione à divinis, & ab interdicto, sive generali, sive speciali, locali, sive personali, quia Bulla est pro censuris, quæ impediunt receptionem Eucharistiæ, vel Sacram. Pœnitentiæ, non aliàs, cujusmodi sunt recensitæ censuræ. Nec vi Bullæ potest dispensari super irregularitatibus ex delicto, quia ultra allatam rationem, Bulla non dat facultatem ad dispensandum, sed absolvendum. Tamb. *tom. 2. de Bulla c. 9. §. 6. n. 5. & 6. v. n. 3606.*

QUÆRES.

3847 *An absolutus vi Bullæ ab uno casu Pontificio, v. g. à duello, si incidat in alium casum Pontificium diversæ speciei, v. g. in simoniam realem, possit eodem anno vi ejusdem Bullæ absolvi : & sic successivè, si incidat eodem anno in alios casus Pontificios diversæ speciei?*

Affirmat Leander *de censuris tract. 2. disp. 17. q. 83.* cum pluribus, quia cùm Bulla sit favorabilis, ejus verba sunt amplè interpretanda, verba autem Bullæ, *semel in vita*, quibus facultas absolvendi à reservatis Papæ restringitur ad unicam absolutionem, possunt commodè explicari de absolutione quoad eamdem speciem peccati; dato enim, quòd Confessarius plures eodem anno virtute ejusdem Bullæ absolvat, semper tamen à casibus specie diversis, verificatur, quòd semel, & non pluries, ab eodem casu reservato absol-

solvat. Et alius majori frueretur privilegio, qui in plura incidisset reservata, quàm qui in pauciora; nam ille posset semel absolvi à centum reservatis diversæ speciei, hic non posset à duobus specie diversis per duas absolutiones semel ab uno, & semel ab alio.

3848 Resp. non posse. Bardus *de Bulla Cruc. tract. 1. sect. 1.* Quia verba Bullæ sunt amplè interpretanda, sed non ultra sensum expressum; expresse autem ly *semel* afficit actum absolutionis, non casum; verba enim sunt; *Possint eligere in Confessarium quemlibet Presbyterum secularem aut Regularem approbatum ab Ordinario, qui eos possit absolvere semel in vita, & semel in articulo mortis, à quibusvis peccatis, & censuris, reservatis Sedi Apostolicæ, etiam declaratis in Bulla Cœnæ Domini, excepto crimine hæresis.* Unde ly, *semel*, facultatem absolvendi restringit non solùm quoad speciem, sed etiam quoad genus.

Nec est mirum, quòd sic majori frueretur privilegio, qui in plura incidisset reservata, quàm qui in pauciora, quia hoc eveniret per accidens, in quantum unum mortale non potest sine alio remitti.

QUÆRES II.

3849 *An Confessarius actu approbatus ab Ordinario in suâ Diœcesi possit confessiones audire in alia Diœcesi virtute Bullæ Cruciatæ?*

Resp. omninò non posse, sed debere esse actu approbatum ab Ordinario loci, ubi fit confessio. Villalob. *in sum. tom. 1. tract. 15. disp. 15. n. 3.* Cardenas *disp. 2. p. 1. q. 3.* & Mend. contra Dianam *p. 1. tract. 11. ref. 7.* Leandrum *de pœnit. tract. 5. disp. 11. q. 70.* Tamb. *de Bulla cap. 11.* & quamplures alios. Ratio est, quia quoad electionem Confessarii, Pontifex in Bulla nil privilegii concedit; sed vult, & intendit se conformare Tridentino, quod requirit approbationem actualem ab Ordinario loci, ubi fit confessio.

3850 Hanc fuisse suam mentem, sæpè declaravit Pontifex, & 1. quia Bulla requirit *Confessarium approbatum ab Ordinario.* S. Cong. Conc. ab Archiepiscopo Valentino interrogata, quid veniat nomine *approbati ab Ordinario* respondit his verbis; *Congregatio Concilii respondet: Approbatum ab alio, quàm à Valentino Episcopo in Diœcesi Valentina, non censeri approbatum ab Ordinario.* Quod Decr. refert Bardi *de Bulla Cruc. pag. 2. tract. 5. cap. 1. sect. 2. num. 19.* & Rodr. *in Bulla Cruc. §. 9. num. 5.* affirmat illud legisse, & per publicum Notarium fuisse omnibus Monasteriis Valentiæ intimatum.

3851 Item anno 1611. emanatum fuit Decretum tenoris sequentis.

Sacra Congregatio Cardinalium Concil. Tridentini Interpretum, censuit Regulares hujusmodi, utcumque exemptos, non posse, absque Ordinarii Hispalensis licentia, & approbatione, personarum sæcularium confessiones audire, litterasque Cruciatæ præditas in hac re quidquam novi juris minimè induxisse, &c.

3852 Quod Decretum confirmavit Paulus V. ut sequitur.

Paulus Papa V.

Nomine Venerabilis Fratris Petri Archiepiscopi Hispalensis Nobis nuper expositum fuit, quòd in Civitate & Diœcesi Hispalensi irrepserit abusus, ut Regulares absque pro tempore existentis Archiepiscopi Hispalensis licentia sæcularium personarum confessiones audire, &c. & vigore litterarum Apostolicarum super Cruciata nuncupata emanatarum illa sibi permissa esse prætendebant: quare Nos, &c. tenore præsentium ejusdem Concilii Decretis inhærentes, Regulares præditos non posse absque Ordinarii licentia sæcularium personarum confessiones audire, &c. absque licentia, & approbatione ipsius Ordinarii, &c litterasque Cruciatæ præditas in hac re quidquam novi juris minimè induxisse, &c. ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus, &c. non obstantibus quibusvis Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, &c. cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ, &c. die 11. Octobris 1611. Pontificatus Nostri anno septimo.

3853 Deindè idem declaravit Clemens X. in Bulla de anno 1670. quæ incip. *Superna*, relata superiùs *in* §. 3. *n.* 3292. Quæ Bulla comprehendit præfata tria decreta, & Bullam Cruc. in illis verbis de §. 1.

Nos attendentes, quod aliàs diversis temporibus prædicta dubitationes, &c. nonnullis Prædecessorum nostrorum Pontificum constitutionibus, earumque declarationibus definita fuerint, ejusmodi definitiones in unum collectas; & in illis:

Non obstantibus quibuscumque Constitutionibus Apostolicis in favorem quarumcumque personarum, Ordinum, Monasteriorum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcumque tam sæcularium, quàm Regularium. Quibus verbis non solùm significantur privilegia Ordinum, verùm etiam privilegia Cruciatæ sæcularibus concessa.

3854 Denique omne tollit dubium declaratio novissima S. Congr. d. anno 1675. Archiepiscopus namque Hispalensis significavit eidem SS. Patri Clem. X. quòd non obstante declaratione per eum ann. 1670. edita Regulares, præ-

prætenderent, posse approbatos in una Diœcesi ab uno Ordinario, ubique confessiones audire virtute Cruciatæ; ac proindè supplicavit, ut declararet, nil suffragare Bullam Cruciatæ Regularibus, aut quibuslibet aliis Confessariis in alia Diœcesi approbatis ad audiendas confessiones sæcularium suæ Diœcesis Hispalensis; qua acceptata supplicatione, S. S. materiam examinandam dedit S. Congregationi, quæ declaravit, ut sequitur.

HISPALENSIS.

Sacra Congr. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum sæpiùs declaravit, Regulares non posse absque Ordinarii licentia & approbatione sæcularium personarum Confessiones audire, &c, nec constitutionem, quæ Cruciata appellatur, in hac re quidquam novi juris induxisse. Romæ 16. Februarii 1675.

Decretum pro Diœcesi Valentina authenticum vidisse, refert Rodr. *n.* 1133. Reliqua verò duo de anno 1611. cum confirmatione Pauli V. & aliud de anno 1675. pro Diœcesi Hispalensi, authentica apud se habuisse, & modò in officio præfati Archiepiscopatus conservari, testatur Cardenas *disp. 2. pag. 1. c. 6. §. 3. à n. 286. ad 299.*

3855 Remanet igitur firmiter ostensum, Clementem X. in Const. de anno 1670. comprehendisse Bullam Cruciatæ; & Bullam Cruciatæ non concedere privilegium, ut Confessarius sive sæcularis sive Regularis approbatus ab uno Ordinario, etiam si duret ejus approbatio, possit eligi ubique.

3856 Nec dicas, recensita tria decreta emanata fuisse non universaliter, sed pro locis specialibus, ac proindè non extendenda. 1. Quia Bulla Clem. X. est universalis. 2. Quia recensita tria Decreta non habent vim puræ legis & statuti, sed declarationis legis communis Trident. & privilegium Cruciatæ, ut patet per verba: *Declaramus, Declaravit*; unde eorum propriè non dicitur extensio, sed comprehensio; quatenus tria decreta edita, unum pro Diœcesi Valentina, & duo pro Hispalensi, comprehendunt eumdem intellectum pro omni alia Diœcesi; cùm enim Tridentinum & privilegium Cruciatæ sit idem in relatis Diœcesibus, & in aliis, ubi est Bulla Cruciatæ, intellectus Pontificis declarantis, quoad approbationem Confessarii vigere Tridentinum, & privilegium Cruciatæ non induxisse novum jus, idem erit pro omni alia Diœcesi, ubi est Bulla Cruciatæ; adeòque cùm constet de declaratione, intentione, & intelligentia Summi Pontificis, non potest ab ea sine temeritate recedi.

3857 Quibus accuratè consideratis, cuilibet sani intellectus constabit, oppositam opinionem affirmativam non esse probabilem; imò gratis dato, sed non concesso, quòd aliquam probabilitatem haberet, adhuc nullo pacto posset amplecti; quia cùm agatur de jurisdictione, & inde de valore Sacramenti, tutior opinio amplectenda esset. Ex Decr. Innoc. XI. *v. pag. 4. prop. 1. & pag. 11.*

In meo Manuali Ordin. *n.* 17. excuso graves Doctores, qui in affirmativam sententiam abierunt; eò maximè, quia ante Bullam Clem. scripserunt.

3858 Modò tamen opinio affirmativa non solùm est improbabilis, verùm etiam sub gravi censura damnata; nam post hæc à me bis typis data, accessit Bulla Innoc. XII. de die 19. Aprilis 1700. quam referunt Matthæucci *tom. 1. ver. Approbatio ab Ordinario*, & Pignatelli *in Consult. Edit. novissima*. Bulla est.

INNOCENTIUS PAPA XII.

(Cùm, sicut non sine gravi animi nostri dolore ex nonnullorum Venerabilium Fratrum Episcoporum Regni Portugalliæ, & aliorum timoratæ conscientiæ virorum delatis ad Nos querelis accepimus, quòd in Regno præfato revixerit, ac in dies magis invalescat opinio per quasdam fel. rec. Pauli V. Urb. VIII. & Clem. X. Romanorum Pontificum, Prædecessorum nostrorum, Constitutiones, necnon plura Congregationum, tunc existentium S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ac respectivè negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, decreta, dudum damnata, & reprobata, qua innixi plerique illarum partium privilegia & indulta per litteras Apostolicas pro Cruciata Sancta emanatas, seu ut vocant; Bullam Cruciatæ concessa, ita intelligenda esse existimant, ut facultas in litteris, seu Bulla hujusmodi Christi fidelibus attributa confitendi peccata sua cuilibet Confessario, per quemcumque Ordinarium ad confessiones audiendas approbato, locum habeat, & habere censeatur, etiamsi is non fuerit Ordinarius loci, in quo confessiones præfatas excipi contigerit. Hinc est, quòd Nos ex debito Pastoralis officii, quod humilitati nostræ meritis licitè, & viribus longè impari commisit divina dignatio, animarum periculis in re tanti momenti, qualis est Sacramentalis confessio, quantum Nobis ex alto conceditur, paterna charitate occurrere cupientes, necnon Constitutionibus, & decretis supradictis inhærentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium, primum quidem supradictis ne-